

cere supereminentem scientiam charitatis Christi. Ad mysterium divinorum cognitionem exit charitatis scientiam, quasi charitas ipsa facem intellectui praeferat, & ipsa sit quae intelligat, & intellectus ipse qui amet. Ut enim Sanctus Augustinus in Manuali cap. 20. Qui vult habere notitiam Dei, amet. Et Sanctus Laurent. Justinianus in Fasciculo amoris cap. 6. Quicumque ardentem Deum amat, sapit.

S. August. S. Justinia.

Dilectio te- nobras ex- pellit, & in- tellectum il- luminat.

Joan. 21. 7.

S. Chrysol.

910 Piscandis piscibus per totam noctem operam navarant Petrus, & Joannes, alique discipuli: cum ecce Jesus a litore maris jubet retia mitti. Ignorans omnibus illis adfuit Dominus, unus Joannes illum cognovit. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est. Unde Joanni tanta cognitio? aequè omnibus conspiciendum sese dat Magister, & ab uno solummodo Joanne agnoscitur? Quid hoc? Respondet argute Sanctus Petrus Chrysologus in Sermone 78. Primus qui diligitur, videt: quia semper amoris oculus acutiùs inuenerit, & semper vivacius qui diligitur, sentit. Erat Joannes prae reliquis Apostolis Christi dilectus, plus Joannes Christum diligebat. Amor igitur in Joanne sapientissimas generabat de Deo cognitiones, totam ejus illuminabat mentem. Rogatus mundi Magister, quodnam esset primum, &

maximum legis mandatum respondit apud Matth. 22. v. 37. Diliges Dominum Deum tuum Matt. 22. ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in 37. tota mente tua. Solam Dei dilectionem exigere videtur, nullà, de Dei cognitione, mentione factà. Nonne Pauli vox est 1. ad Timoth. 1. Timoth. 2. vers. 4. Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: id est, ut Dei agnitione salventur, quomodo interpretatur Cassianus Collat. 9. cap. 19. Nonne Christi illud est pronunciatum, Joan. 17. vers. 3. Hac est autem vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum, verum, & quem misisti Jesum Christum? Praeclara est Chrysolomi responsio in Homil. 26. ex variis. Non dixit: cognosces Deum Dominum tuum, sed diliges; quoniam cognoscere verum Deum, proprium est humanae naturae: diligere autem eum, religiosi cordis est, & recti. Et quicumque dilexerit Deum ex toto corde, non est possibile ut non perveniat ad Filii ejus cognitionem. Ipsa enim dilectio Dei, quae in eo habetur, illuminat eum. Dilectio ergo Dei in humano corde accensa, ignorantiae tenebras expellit, & intellectum illuminat, ut Christum, Christi mysteria agnoscat; quae quidem, cum amoris locutiones sint, non nisi ab eo, qui diligit, intelliguntur.

Joan. 17. 31

S. Chrysol.

Verf. VI.

Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens; & sicut nebula texi omnem terram.

ARGUMENTUM.

Virtus ad creandum.

911 EX natalitiis adeò illustribus, ac luminosis, quae non splendeant mirae pulchritudinis lumina? Primum ex Patris ore divinum Verbum, sive vox clarissima cor non sese in primae lucis, imò & rerum omnium conditione, subaudiendum dabit, prospectandumque? Ergo suas insequuntur laudes Jesus, & Deipara. Ille gloriatur, se indeficientis luminis, procul tenebris amandatis, extitisse creatorem; ejus praesertim mystici luminis, quod gratiae & gloriae lumen nuncupatur, peccatorum caligine fugatà. Maria item eodem tenore verborum, & ad primae lucis, totiusque universi creationem, se nimio opere juvasse autumat; & quod plus est, verae lucis JESU, omnem hominem illuminantis, unicam fuisse Genitricem, atque adeò totius gratiae.

Textus enodati.

Lumen indeficiens quid.

Anima spiritualis.

912 PRIORA illa verba, Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens, desiderantur in textu Graeco & Syro: sed retinentur à Vulgato ex fideliori exemplari, & communiter ab Interpretibus sacris, & à S. Maximo in Homil. 2. de Festo Paschae. Tigurina sic effert: Ego lumen in caelis indefessum produxi. At enim quodnam istud lumen est? Dionysius, Hugo, & Fuldenis Abbas Rabanus, Angelicas & caelestes virtutes, luminis, seu lucis nomine intelligunt; imò & ipsas hominum

animas, quae lumen habent intelligentiae & rationis, Rabanus accipit. Videntur hi auctores adherere Sancto Augustino, & etiam non paucis deinceps scriptoribus, relatis ab Alcanio Martinengo Tom. 1. Glossae magnae p. 420. asserentibus, per lucem primo nalcntis mundi die factam, Angelos esse intelligendos; Daemones verò per tenebras illas tunc à luce discretas. Sed haec interpretatio non satis historica plerisque visa est: nec certa proponitur ab Augustino, sed inquirendo, dubitandoque, ut legenti clarebit. Si tamen praedicta existimatio placeat, observa, luminis seu lucis vocabulo rectè quidem Angelos designari. Ut enim S. Nazianzenus in Orat. 1. de Reconciliatione Monachoru: Angelicas dico virtutes, ac caelestes, primi luminis splendores primos, & veritatis verbo lucentes: nam & ipsa lumen sunt, perfecti luminis radii fulgentes. Et Sanctus Damascenus lib. 2. cap. 3. Angeli secunda sunt lumina, ex primo, & carente principio lumine illuminationem suscipientia. Verè Angelica natura lumen est radiatione Dei effusum: lumen est indeficiens, quia immortalis, & incorruptibilis. Lumen est indefessum, quia, cum incorporea sit, minimè fatigatur, etsi per tot annorum curricula, ab opere non desistat: potentia quippe illius motiva, intellectus, & voluntas esse dicitur, in actu: ita ut intelligendo & volendo moveat, & operetur ad extra. Loca omnia peragravit, omnibusque impigre adsunt, tum ob ministerii promptitudinem, tum ob naturae levitatem, ait Sanctus Nazianzenus Orat. 34. S. Nazian. quae est 2. de Theologia.

Indeficiente lucis, & luminis vocabulo Angeli designati. S. Nazian.

S. Damasc.

913 CAETERUM, de lumine, seu luce, cujus Siracides noster meminit, probabilior sententia est, in simplici, maximeque historico loquendi

Lumen, seu lux proprie accipiendū.

quendi usque; veram lucem esse, meram qualitatem, verumque accedens à Deo productum, in prima creationis die, Genes. 1. vers. 3. Dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux. Lux plane nudum accidens sine subiecto subsistens; uti arbitrantur Sanctus Basilius Hom. 6. in Hexameron, Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 43. in novam Dominicam, Theodoros quaest. 14. & 16. Procop. Gazaeus, & nonnulli alii in Genesim. Vel ex aliorum sententia, lux quidem alicui subiecto inherens, & quasi vaseculo inclusa alicui subsistat. Credit noster Del Rio, hanc lucem formà nubis praerulxisse, in columnam fortassis conformata. Alii, in aquis eam productam autumat. Sed est D. Thomae, & communior in Scholis opinio hanc lucem esse ipsum solem adhuc informem, & imperfectum, qui quarto etiam die conditus dicitur ob intensioris lucis perfectionem, quam tunc accepit. Qua de re videndi ex nostra Familia Molina, & Suarez de opere sex dierum, Salianus Tom. 1. Annalium anno mundi 1. die 1. Cornelius, Pterius, Del Rio & alii in Genesim.

Primigenia lux indeficiens, ejus vehiculum sol.

S. Basil.

Eccles. 43. 2.

Psal. 71. 5.

S. Hieron.

Job 36. 32.

Abac. 3. 4.

Christus & Deipara lucis conditores, id est, causa re- vum.

S. Nazian.

Vocis & lucis adfocia- tas.

914 Si priori illi Basilio, & Nazianzeni sententiae adhaereas, verè lumen indeficiens cum nostro Siracide appelles primigeniam lucem; quae quarto die non evanuit, sed indita perpetuò est luminaribus caeli, soli, lunae, & reliquis astris eo die conditis. Ut enim Sanctus Basilius in 6. Homilia, quarto die solis corpus eò conditum est, ut illi primigeniae luci vehiculum esset. Qua ratione Ecclesiasticus noster cap. 43. 2. vas admirabile, solem appellat. Si verò per lucem illam intelligas solem ipsum informem adhuc & imperfectum; ejus lumen seu lux indeficiens, & indefessa extat, quia perpetuò duratura. Unde apud veteres sol fuit aeternitatis symbolum. Et de Dei Filio immutabili & indeficiente canit David Psal. 71. 5. Et permanebit cum sole, & ante lunam in generatione, & generationem. Sanctus Hieronymus vertit, quamdiu erit sol, & ultra lunam. Perpetuo etiam, & indefesso cursu omnia sol perlustrat. Quapropter infatigabilis appellatur à Sancto Nazianzeno Oratione 34. quae est 2. de Theologia. Jam ergo Dionysius Carthusianus lumen indeficiens dictum putat à Siracide solem ipsum. Et quidem lucis nomine saepe vocitatur sol in sacris litteris. Job 36. versu 32. In manibus abscondit lucem (id est solem) & praecipit ei, ut rursus adveniat novo exortu. Abacuc 3. vers. 4. Splendor ejus ut lux erit: id est, ut lux solis, uti alii vertunt. Vide Esther 10. vers. 6. & observo, Hebraeis or esse lucem & lumen; quare LXX. vertunt Genes. 1. 3. & id est lumen.

915 Igitur Christus & Deipara seipsos commendant, sub sapientiae five sapientiarum nomine, ab effectu pulcherrimo, & nobilissimo, nempe à lucis magnae productione: cuius praesertim meminit noster Siracides, quia totum Mundi opificium à lumine fuit inchoatum, & exordium sumpsit. Conveniebat quippe magno Lumini opificium suum à lumine aspicari, ut loquitur Nazianzenus Orat. 43. in novam Dominicam. Dixerant Jesus, & Jesu-para se ex ore Altissimi produxisse, ut sermo- nem, ut vocem; subjungunt coruscantis lucis, & omnia illustrantis productionem; & quidem aptissime, propter vocis, & lucis adfocitatem: sermo enim, aut vox cujuslibet

hominis, ad instar est clarissimae, & splendidissimae lucis, per quam animi penetrabilia, & intimas cogitationes dispicere, & intueri licet. Unde illud Plutarchi de Philosoph. placitis lib. 4. cap. 19. Proprie vox dicitur articulata, quae est Graeco sermone dicta, quasi mente concepta illuminans. Et Philo Judaeus in libro, quod omnis justus liber: Sicut ea, quae in tenebris abdita sunt, celantur, donec lux affulgens ea indicet; ad eum modum cogitationes meas recondit animus in loco invisibili, donec vox lucis more cunctas retegat.

Plutarch.

Philo Jud.

Lux pro toto Mundo per synecdochem.

P. Cornel.

Nebula in nominandi casu.

Nebula pro tenebris.

Genes. 1. 4.

Et pro aqua nebulosa & caliginosa.

Et pro tenebris primigenias.

Genes. 1. 2.

Job 38. 9.

nerem nubem vestimentum ejus, & caligine illud quasi pannis infantie, obvolverem. Pro caligine, LXX. legunt nebulam. Erat enim tunc terra inanis & vacua, incompota & inornata, invisibilis & informis, utpote in imo abyssi fundo demersa, omni specie & ornamento deficiente; interius seminibus, mineralibus carens, forinsecis hominibus, brutis, arboribus, & plantis. Quid mirum, si illam Deus obscuritate & caligine, quasi pannis infantie, fasciisque vestiverit, & obvolverit.

919 Postrema hæc interpretatio mihi magis probatur. Ut verò illi non parum splendoris conciliemus, præmitto in primis, particulam copulativam &, in illis verbis, & sicut nebulam texti omnem terram, habere vim adverbii temporis cum, vel quando, si fiat sententiæ resolutio, ut constat ex multis aliis sacræ Scripturæ testimoniis. Unum vel alterum indicabo. Job 4. vers. 5. Venit super te plaga, & defecisti. Id est, quando venit super te plaga, defecisti. Psalm. 103. vers. 24. Ortus est sol, & congregati sunt: est idem, atque quando ortus est sol. Psalm. 145. 3. Exiit spiritus ejus, & revertetur in terram suam, hoc est, cum exierit spiritus ejus, ibit in pulverem. Mitto ejus generis alia. Rursus particula sicut, juxta sacræ Scripturæ phrasim auget quandoque vocis significationem, cui adjungitur. Habacuc 2. vers. 5. Dilatavit quasi infernus animam suam: id est, Nabuchodonosor hostis accerrimus, & potentissimus Isai. 11. v. 9. Repleta est terra scientiâ Domini, sicut aqua maris operientes: id est, magna aquarum copia, ultione gravissima, plagaque magna.

920 His positis, ea Ecclesiastici verba, Ego feci in celis, ut oriretur lumen indeficiens: & sicut nebulam texti omnem terram, sic placidè fluunt: Sol, vel lux (ex qua postea sol) à me conditus est, cum terra esset & aqua, vel quando terra & aqua erant densissimis tenebris obvoluta, quavis procul amandata caligine, luce coruscante illustrata sunt omnia. Atque hoc etiam sensu illud capias Genes. 1. 2. Tenebrae erant super faciem abyssi & (id est, donec, cum, vel quando) spiritus Domini (id est, sol, qui spiritus appellatur Ecclesiast. 1. 7. lustrans universa in circuitu pergit spiritus) ferebatur super aquas. Cum nox præcessisset, factâ jam luce, dies successit.

TEXTUS ILLUSTRATUS

De Christo, & quâ Deus, & quâ Homo est.

SECTIO XXXII.

Christus Dominus, uti Dei Verbum, & vox, indeficientis luminis, imò rerum omnium conditor extat, idque titulo speciali.

921 Statuerat Christus Dominus, se ex Dei ore produisse ut Verbum, ut vocem, ut sermonem, ut primogenitum, & unigenitum Patris; atque adeo ut verum Deum coævum, & coævalem Genitori. Id etiam, ut nova quadam ratione demonstraret, se fuisse ait, unâ cum Patre, rerum omnium conditorem, lucis præsertim primigeniæ, & indeficientis. Simili argumento usus est Evangeli-

Particula, &, pro cum, vel quando.

Job 4. vers. 5. Pl. 103. 24.

Psalm. 145. 3.

Particula, sicut, auget vocis significationem.

Sensus verborum.

Genes. 1. 2.

Eccles. 1. 7.

Christus Dei Verbum unâ cum

sta Joannes in sublime volans ut Regia Aquila cap. 1. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Deinde subtextit: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Similiter quoque urgent sanctissimi Ecclesiæ Proceres, Basilii lib. 4. contra Eunom. Cyrillus Alexandr. in Joannem lib. 1. cap. 135. Hilarius lib. 9. de Trinit. Marcellinus Papa Epist. 1. ad Salom. & Athanasius disputat. contra Arrium, habitâ in Concil. Nicæno, & Dialogo 2. de Trinitate: ubi ita: Unigenitum esse Patri suo cœssentialem audimus ipsomet his verbis dicentem: Omnia, quæ facit Pater, ea Filius facit similiter. Quorum enim eadem actio, eadem quoque est essentia. Subinde S. Zeno Veronenis in Serm. 2. de æterna Verbi generatione argutè dixit: Cujus ex ore, ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodit unigenitus filius cordis nobilis inquilinus. Paterni cordis nobilem inquilinum Christum appellat, quia cohabitator Patris est: ut enim Festus; Inquilinus, qui eundem focum colit, aut ejusdem loci cultor. Inde divinum Verbum operatorius est sermo, vox planè interna externarum rerum effectiva. Est quippe, ut ait S. Ambros. lib. 2. in Hexaem. cap. 2. vox Dei efficiens natura. Et lib. 2. de Filii divinitate cap. 6. Verbum nuncupatur, quia ex proprio divino ore processit, & nihil Pater sine eo aut jussit, aut fecit.

922 In hujus rei probationem plena est testimonii sacra Scriptura. Genes. 1. v. 1. In principio creavit Deus celum, & terram, id est, in Verbo, in Filio suo, ut multi ex Patribus interpretantur. Sap. 9. vers. 1. Fecisti omnia Verbo tuo. Psalm. 32. 6. Verbo Domini caeli firmati sunt. & vers. 9. Ipse dixit, & facta sunt. Ad hæc, & ejusmodi alia testimonia sit allusio à nostro Siracide: sed præsertim ad illud Genes. 1. v. 3. Dixitque Deus: Fiat lux, & facta est lux. Ubi verbum dixit ad æternum Dei Verbum, & Patris vocem, seu sermonem non articulatum, sed internum, gravissimi Patres referunt; quasi perinde omnino sit, dixit Deus: Fiat lux; atque Verbo suo fecit ut esset lux. Dixit, non temporaliter, nec corporaliter, sed æternaliter. Ita S. Augustinus lib. 1. de Genesi ad litteram cap. 2. S. Isidor. de summo bono lib. 1. cap. 10. Beda in Genesim, & lib. de sex dierum creatione, Rupertus lib. 1. in Genes. cap. 10. & alii multi relati à Martinengo in sua Glossâ ad Genesim, à folio 396. Dixit ergo Deus per Verbum suum coævum & coævalem, ut fieret lux in tempore, & verè per ipsum facta est. Quo referas illam ex Hebræo translationem: Dixitque Deus: Erit lux, & fuit lux. Hic jam Ambrosii verba resplendent lib. 1. in Hexaemeron cap. 9. Unde vox Dei in Scriptura divina debuit inchoari nisi à lumine? Unde mundi ornatus nisi à luce exordium sumere? Plena vox luminis non dispositionis apparatus significat, sed operationis resplendet effectu. Nature opifex lucem locutus est, & creavit. Et quidem cum Dei Verbum lucem habitat inaccessibilem, sitque lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; quid aliud in primis lucem mitteret illi potius, & antiquius quàm lucem ipsam? Et cum sit Verbum bonum ex Paterno corde eructatum Psalm. 44. v. 1. conveniebat utique infinitæ bonitati plenam esse vocem luminis, & non nisi

Patre rerum omnium conditor. Joan. 1. 1.

S. Athanas.

S. Zeno. Christus Paterni cordis inquilinus.

Festus.

S. Ambros.

Genes. 1. 1.

Sap. 9. 1. Psalm. 32. 6.

Genes. 1. 3.

Vox Dei non debuit inchoari. S. Ambros.

nisi lucem loqui, quæ omnia tenebris circumfusa illustraret. Quod ad mores nostros postea seorsim referemus.

923 Quod si in illis verbis, Ego feci ut oriretur lumen indeficiens, adhuc premas eam voculam feci, quæ manus operationem innuit; & manus inquiras, unde lucis exortus, Christum repereris, qui Lei Patris manus commode appellatur ad mundi fabricam. Psalm. 101. v. 26. Opera manuum tuarum sunt caeli. Isai. 66. vers. 2. Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt universa ista. Nicæna Synodus lib. 2. §. in libros Job, & §. Synchronum, sic habet: Pater veluti per manum in Verbo suo operatus est omnia. S. Cyrillus Alexandr. lib. 1. Theauri cap. 1. Omnia per ipsum facta sunt. Ideo & dextra, & brachium Dei nominatur, quia quasi per manum omnia Deus per ipsum operatur. Inde Job 36. vers. 32. de luce solis, lucifera ortu, & interitu, a que vicissitudine: In manibus abscondit lucem, & præcipit ei ut rursus adveniat. Annunciat de ea amico suo, quod possessio ejus sit. Dei Filius possessor lucis est, auctor, & dominus, dispensator & distributor, utpote Dei manus, à qua lux exoritur, & spargitur longè lateque. Hinc illud Baruch cap. 3. v. 33. Qui emittit lumen, & vadit: & vocavit illum, & obedivit illi in tremore; stella autem dederunt lumen in custodiis suis, & latata sunt. Vocata sunt, & dixerunt: Adsumus, & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. De Christo Domino sermo est, cui præsto adest lumen solis, & stellarum, tanquam Domino, & formatori suo, & cui obediunt luminaria omnia sine ulla molestia & cunctatione. Ideo subtextit Vares: Hic est Deus noster, &c. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Subinde homo factus Joanni apparuit Apoc. 1. 16. habens in dextera sua stellas septem. Verè Dei Filius & vox & manus Patris est, seu operatorius sermo; Verbum, cui adsciatur opus. Quid mirum si dictum factum? Ipse dixit & facta sunt. Psalm. 32. 9. Dico, & heccho. Rectè ergo Siracides: Ego ex ore Altissimi prodivi. Ego feci in celis, ut oriretur lumen indeficiens. Ne nos simus ex illis, quos tangit S. Bernardus lib. 5. de Consideratione: Docuerunt linguam suam grandia loqui, cum operentur exigua. Et de quibus S. Basil. Seleucia Epist. in Orat. 23. Linguas pro manibus armant.

Pater veluti per manum in Verbo suo condidit omnia. Pl. 101. 26. Isai. 66. 2.

Job. 36. 32. Dei Filius possessor lucis est, quam à manu habet. Baruch 3. vers. 33.

Apoc. 1. 16. Dei Filius & vox & manus, quia jubet & facit.

Nonnullis lingua pro manibus. S. Bernard.

S. Basil. Seleuc.

Rerum omnium productio tribuitur signatim Verbo divino, ob Incarnationis & Redemptionis opus.

924 Ceterum si quis quærat, cur omnium creaturarum rerum productio tribuatur Dei Verbo? Nonne indivisa omnino sunt Trinitatis opera, cum una sit in tribus Personis operatio, sicut & unus intellectus, & una voluntas, ex quantum directione opus ad extra proficitur? Ita planè res habet. Sed est adhuc ratio, quæ militat in Christo, non verò in reliquis Triados Personis, ob quam titulo speciali dicatur ipse mundi conditor. Verbum enim divinum, non autem Pater, neque Spiritus sanctus, naturam in utero Virginis assumpsit humanam, mirabilia opera perpetravit, & multò admirabiliora pertulit; stabulum, præsepe, vincula, flagella, spineam coronam, & infame crucis sup-

placium; ut creaturas omnes per peccatum conceptas restitueret in integrum, atque restauraret. Eo igitur speciali titulo incarnationis & passionis, quo ad Christum spectat mundi restauratio, spectat quoque rerum omnium productio. Atqui probè noverat Deus, si mundus conderetur, fore ut omnigenæ culpæ pondere ad ima rueret orbis machina; fore ut densissimis peccatorum tenebris obtunderetur. Id quod Deum forsam retardabat, ne creaturis bonitatem suam, beatitudinem, pulchritudinem, reliquasque perfectiones communicaret, easque libi simillimas, quantum ferret earum conditio, redderet. Quid tunc? Unus planè Christus Jesus, Dei Filius, & æternum Verbum, ut labentem mundum suis humeris sublevaret, & sustineret, atque etiam ingentissimo suæ gratiæ lumine illustraret, vltro sese obtulit. Quapropter ipsi, titulo speciali, mundum creandum susceptum, postmodum ab eo restaurandum. Quod si ad illius restaurationem non se obtulisset, nenuquam conderetur.

925 Hinc Rupertus lib. 1. de Trin. & pro-Rupert. celsi. Spiritus sancti cap. 5. & 6. expendens rerum omnium principium esse Christum Jesum, subtextit. Hoc futurum non latebat Moysen, qui bene pro Ben, id est, Filio, Berescit, id est, principium posuit. Principium nuncupans eum, propter quem, & per quem nos condidit, vidit, & salvandos fore prævidit. Proinde licet Pater & Filius & Spiritus S. unum principium sit, nusquam tamen vel Pater, vel Spiritus S. legitur ut manifestè se nominasse principium, sicut Filius se nominat: Principium, qui & loquor vobis. aperte facetur, Christum Dominum peculiari titulo Incarnationis & redemptionis, esse etiam speciali ratione magnam creaturarum conditorem. Parco multis aliis SS. Patrum effatis. Illud tamen singulare observo, pro illis verbis Genes. 1. 1. In principio creavit Deus celum & terram, posse ex Hebræo legi, in felle, seu amaritudine creavit Deus celum & terram. Nam pro Principium est Hebræicè restit à voce ros, quæ est principium, initium, caput, fel & paupertas. Quasi prævidens Deus Dominicæ mortis paupertatem, felle, & amaritudinem, in illa creaverit mundum, quem deinceps in eadem erat restauraturus.

926 Quò revocassem illorum sententiam afferentium orbem universum conditum esse propter Christum, & nisi Christus in rerum natura non esset futurus, neque mundum fore. De quo Galatinus lib. 7. de Arcanis cap. 2. & 4. Sed Paulum audiamus ad Hebræos scribentem c. 1. 2. Quem constituit heredem universorum, per quem fecit & sæcula: qui cum sit splendor gloria, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purificationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis. In primis constituitur Christus Dominus universorum hæres, ut qui rerum omnium conditor, quæ tempore mensurantur; id enim est, per quem fecit & sæcula. & ideò conditor, quia suo splendore totum orbem in tenebris jacentem illustravit, cum ipse sit splendor gloria. Et illum etiam ad ima protractum, supposito Crucis ligno, imò etiam humeris sustulit, & sustentat; purificationem peccatorum faciens. Græcè, facta remissione per se ipsum. Rectè hic Clemens Romanus lib. 8. Constituit. cap. 16. Per quem concess-

si Christus non fuisset, mundus conditus non esset. Ad Hebræos 2. vers. 2.